



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Medvlla Theologiæ Moralis**

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

Dub. III. An supradicti teneantur singuli restituere in solidum, & quo  
ordine?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

mittendo, quando est necessarium; non tamen ad hoc tenetur ex obligatione erga tertium, quasi ex justitia debeat eius damnū cavere, aut procurare, ut hoc ei compensetur. Secus tamen dicendum videtur, si positivè restitutionem impedit ex malitia, imò etiam ex ignorantia crassa, vel culpa lata: quia tunc confilio suo, est causa efficax damni, v. *Leff. & Bon. d. 1. q. 2. p. II. Laym. b. 3. t. 4. r. 7. & infra l. 6. t. c. 2. dub. 5.*

## DUBIUM III.

*An supradicti teneantur singuli restituere in solidum, & quo ordine.*

Resp. Cum plures damnificantes, vel seorsim singuli rem suam agere possint, vel coniunctim, atque alii aliis plus minusve in damnum influere, hinc ex tali ordine & mensura influxus, ordo & mensura restitutionis sumenda est. *Ita comm.*

*Doct. Unde resolues.*

I. Si plures absq; consensu, quisque per se seorsim, & casu concurrent ad damnum, singuli non plus tenentur restituere, quam quod quisque per se damni intulit. *Laym. lib. 3. tr. 2. cap. 6.*

II. Si plures consensu, & invicem juvantes, id fecerunt, singuli in solidum tenentur restituere totum damnum: quia singuli sunt causa totius damni, cum unus juvet alterum, & procedat ex confidentia, quam habet in auxilio aliorum. Unde si unus eorum restitutionem fecit, potest à reliquis, nimirum à principali totum, aut si is nolit à reliquis, pro rata singulo-

L 5 rsum.

rum, repetere, Bon. de rest. d. 1. q. 2. p. 11. ex Vafq.  
Mol. Fill. &c.

III. Quod si actio damnificans fuit lucrativa, & aliquem ex cooperatoribus res ablata adhuc existat, aut is eam mala fide absumpsit, tenetur in primo loco restituere ipsam, vel æquivalens; & si ille non faciat, reliqui, Less. l. 2. c. 13.

IV. Si actio damnificans non fuit lucrativa, aut quia res periit, & destruxta est, ut fit, v. g. in combustione, mutilatione, detractione, tunc ante alios primò tenetur restituere qui mandavit, vel qui causa fuit primaria, vel executor primarius; ut in bello Princeps. & Dux, & si is non sit facturus, ut quia non vult, vel quia non potest, tenentur reliqui, v. g. cæteri milites. Quod eius de militibus speculativè verum sit, practicè ramenū excusantur per accidens: tum quia non possunt totum restituere: tum quia dominorum voluntas non est, nec exspectatio ut plus restituant, quam parvam suam; ideoque si hanc possent, ad id tenentur; uti & si quid adhuc reliquum habent ex iniquo, Laym. l. 3. tr. 2. c. 6 n. 5. ex Caiet. Mol. &c. Imò Bon. de rest. d. 1. q. 2. p. 10 n. 13. ex Navar. cap. 17. Vafq. & Less. d. 4. n. 37. dicit militem gregarium, qui alios non induxit, non teneri ad restitutio nem totius damni illati à toto exercitu, sed tantum pro sua parte, v. supr. t. 4. c. 1. d. 5. art. 3.

V. Si damnum passus condonet restitucionem principali damnificanti, etiam minus principales liberantur: non autem vice versa: quia ruent principali, ruit accessorium, non contra. v. Laym. supr. c. 1. d. 5. art. 3.

DVBla